

II.

2. Paucula saltim de insigni artis Typotheticæ utilitate  
3. in laudem ejus heic adferre adlubescit. Typographia (ait Casp. Klock *de arario lib. 1. cap. 19. n. 43. & seqq.*) temporibus cuncta abligurienti, & sub mortalitatis jugum trahenti, frenum injecit: Illaque verè est ars memoriæ, & mors oblivionis, & ingeniorum asylum, nec minus, quam Philonis alexipharmaca, Deorum manus & munus, imò ipsa, cum mortuos in vitam revocet, omnino diva est. Germaniæ miraculum optimum maximum, quod toti orbi commune, viam ad virtutum & doctrinarum mysteria, ad Religionem, ad cœlum, ad Christum ipsum, Salvatorem nostrum, communicat. Est ea Lydius veluti lapis, aurum à plumbo, album ab atro, verum à falso, bonum à malo discernens. Est annulus quidam Angelicæ cuncta veterum philosophorum nube plerumque nugas suas obscurantium incantamenta revelans atque confundens. Hæc ipsa vera est Fortunæ & Famæ officina, personis meritissimis nomen, dignitates, opes, immortalitatem æternitatemque concilians, indignis & vitiosis ignominiam, contemptum, egestatem, obscuritatem & oblivionem, mortemque non modo civilem, sed perpetuam objiciens, & in profundam terræ noctem eos penitus abjiciens. Hospitium amplissimum est admirandorum & divinorum ingeniorum, receptus est Spirituum acutissimorum; Diverticulum est commune & perenne Theologorum, Jurisconsultorum, Senatorum, Medicorum, Philosophorum, Historicorum, Academicorum, Scholasticorum: breviter: Omnis boni & pulcri, quod urbe & orbe referrî potest; Cujus unius artis beneficio innumera nunc artes prostant, conservantur, illustrantur,  
pro-